

II.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 72.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum, Die Martis 9 Octob. 1810 (Neov. 21. Sep. 1810.)

Artes et scientiæ, commercium, mortales migrando in hoc orbe circumferunt. ex una in aliam Zonam: O vere omnia transitoria solum sunt! —

A m e r i c a.

In Elysiis Campis minor duntaxat Europæorum pars noscunt ærius primùm detestam hanc orbis partem — ex quo fit: ut incredibili curiositate excipiant cuncta ad eam attentia.

Miscellanea novissimæ orbis notitiæ, æstimatæ eruditæ paginæ, nuper admodum descriptionem hodiernorum Orbis hujus partis adjunctorum complectebantur. — Rheanum vero Archivum pro Historia & Literatura in ratione geographica & statistica novas explicationes texuit, in hunc scribens modum:

„America quadruplo major Europa, septuplo minorem populationem habet. In ea quaelibet ad quæcunque naturæ producta proferenda climata apta deprehenduntur; quæ explendi imaginarias necessitates nostræ gratia ex omnibus orbis partibus compila-

mus, cœmimus. Neodum immanis hic terræ coelique tractus, ea perfectione gaudet qua gavisurus, ubi proportionata populatio nemora lucidiora, deserta culta, paludes siccas, flumina regulari alveo refluentia reddiderit. Adhucdum ampli, superficie geographica Europæos Status adæquantes, terrarum tractus nihil præter inanem cacuminum in ævum crescentium arborum susurrum, obtutum aquarum nave distitutarum undulatum motum, solitarium avium cantum, atque vagitum secure oberrantium percipiunt ferarum. Territorium vicinies plures homines ibi alendo est, si solertia fertilitatem soli adjuvet. Feri adhuc libere & naturali simplicitate discurrunt in vicinia frequentium populorum, qui veloci gressu cultura civili, alacritate & fortunarum ubertate proficiunt, ut suam quoque metam assequantur, in opum nimia affluentia, comite enormi inopia, in corruptela morum & servitute. —

Verum quidem est, usque remotus hinc factis illuxerit, plura præteritura sæcula, nonnullas hominum interituras generationes, orbisque formam immutandam esse, nihilominus hic temporis articulus Americæ tam certe illucescet, quam certum est, nullam orbis partem, nullam gentem eum effugere. — Ita fieri assolet: homo sua ætate summum se assecutum in vivis autumat, ast, quæso, quantum est præsens limitata rerum conditio, si eum immensitate futurorum, in qua numerosæ olim nationes, ignotas hodie potissi-

mum regiones Africæ, Asiæ, Americæ inco-
 lentes, in quibus feraoibus arvis res tormen-
 taria nostra tonitrua edet, quibus hodie so-
 litarium barbari circumvolet deserta telum,
 in qua commercia & reciproca mercimonia
 remotissimas gentes obnubet, succossum a
 boreali promontorio usque Magellanicum fre-
 tum extendet, quinaeque orbis partes in fra-
 ternum foedus amice coalescent, aut dissen-
 sientes hostiliter divellentur? — Non ultra 3
 sæcula, quod America detecta, viaque per
 Promont. Bonæ spei inventa, sæculo paullo
 prius nitratus pulvis, & 40 annis prius Ty-
 pographica ars innotuit, & quantum hodie-
 nam inter orbis & illorum temporum formam
 disorimen? quid post 3 sæcula America erit?
 quam actionem in ratione superficiei suæ geo-
 graphicæ, populationisque in reliquis orbis
 partibus exeret? ubi Scipiones, Cæsares Na-
 poleoneque suos habuerit. Hæc tempora
 ventura quis in dubium vocare poterit, po-
 tentemque eorum virum multo majorem rerum
 agendarum spheram habiturum ac hodie
 habet? Impubertatis annis suæ exactis
 America externæ legis jugum non feret post-
 haec amplius, nec matri ita dictæ Civitati
 opes suas ceu debitum vestigal ad distitas
 expediet plagas. — Hispani partem Americæ
 depopularunt, exacto factionum bello in His-
 pania, regio hæc partem incolarum numeri
 novo orbi reddet. Hispani partem Americæ
 subjugarunt, hodierno bello in Hispania liber-
 tatem suam in acceptis ferre potest. Gallica

ex domo Rex conatus Americanorum borealium adjuvit ad Independentiam suam conservandam & se in libertatem adierendos; ex boreali America semen libertatis partim gallico solo illatum, quod regio solio venenatam excrevit in arborem quis explicando est, quam invisibilis omnia moderantis digitus stamina invicem arctet, quibus eventa rerum seu causæ & effectus alligantur, qui sortem populorum & hominum dirimunt, & definiunt?

Emigratio Domus Bragantinae in Brasiliam hodiernumque bellum Hispanicum grandia pro America consecutaria adferre debent. Pars adhaerentium veteri Domui Regiae, & Hispanorum ludæ adversus Galliam implicatorum, in novum orbem emigrabit. Diu adhuc male contenti aut infelices asylum contra succellones in Europa, refugium contra politicam aut religiosam Intolerantiam, & inopiam, quæ crescente luxu, aucto discrimine fortunarum & vitæ generum, continuo gravior accidere debet, fortissis & quietem adversus puncturæ, mille viles affectus, qui hominem in cultis & sinistre cultis — supra modum, ut dici solet, cultis Statibus, affligunt, locum inquam securitatis in America quæsituri sunt. In hac incultum solum paratum est, industriam ubertim præmiare, numerosaque familia non ut execratio, sed ut beneficium habetur, facileque 10 Sæcula labi usque poterunt, quo Jusculum Rumfordianum ultima spes vitæ laboris & fatigii plenæ residuum fuerit. — Hæc orbis

part, maxima omnium, quam natura secundum majorem mensuram formaverat, in qua montes altiores, flumina & lacus profundiore & latiore, ac aliis in orbis partibus, situ gaudent, hæc inquam profectio grandiscenæ in orbis historia agendæ destinata est, & grandia facta patraturos edet viros. — Jam eorum antesignanos exortos vidimus in boreali America, in qua ex turba relegatorum potens respublica coaluit, prout ex furum, latronumque colluvie Roma orbis olim domina, — Homo sub grandium duntaxat relationum concursu magnitudinem adipiscitur, atque exercitio sensuque virium suarum, fortitudinem & auctoritatem. —

Superficies ditionum Hispanicarum in America nostræ orbis partis excedit; a 41° 43' lat. austr. se exporrigunt usque 37° 48' lat. bor. proin non pauciores, quam 79 gradus ambitu complectuntur suo. Regio excellenti gaudet situ pro Commercio cum Europa & Asia, atque natura sua feraci solo, & immensis in visceribus suis reperibilibus opibus abundat. Ipæ sub Zona torrida sitæ regiones miti gaudent climate, quod immanes Cordilleri montes nimium æstum temperent. Aborigines nativorum & indigenarum Incolarum in his regionibus numerosi quidem adhuc, & servitute pressum genus, industriæ & culturæ parum copax, sunt, at altera ex parte regiones hæc emolumento gaudent, quod ex tempore primum tragicarum in S. Dominico scenarum nosse & æstimare didicimus.

numerus videlicet mancipiorum apud eos admodum exiguae attentionis esse."

Huc usque memoratum Archivum. — At nova pro futuris spes se pandit. — Immanes Hispanorum in America Coloniae, a matre Civitate velut recisae, seu orphani consistunt, atque intra se nova exquirunt se moderandi media. — Amplitudo & multifaria extensio earum, in plures ex tutela egresos orphanos dividetur. — Id certum: plures independentes in ea Status exorturos.

Jam Floridae Incolae, perhibentibus Americanis de 4. Julii Ephem. plures frequentes Conventus celebrarunt, & in iis liberos, ac independentes ab omnibus Europaeis Potentiis se declararunt. Sub clientelam Reipublicae Americanae concessuri existimantur.

Constat quid in Caracca contigerit. — Incolae se liberos declaraverunt, atque novam regiminis formam elaborarunt.

Tertia orphana provincia est ad flumen Platta; hi felices Incolae in urbe Boni Aeris novum ab omnibus Potentiis independentis Collegium seu Justam propriam Imperantem constituentem condidere. Eorum territorium vehementer vastum usque Peruviam se diffundit, quod via Postali per Hispanos quondam excitata connectitur.

Quid ex veteri & novo Mexicano Regno fiet? quid ex multis ad orphanalem conditionem redactis majoribus, minoribusque Insulis? — Copia novorum enascetur Statuum, qui se demum bellis mutuo usque im-

petent, quo in his oris eximius surget vir, qui vi & potentia eos ad Unionem revocaturus est. —

Interim Europæa Nova dispiciamus!

Die 16. Sept. Parisiis annui Iudi Gymnastici in Cursu equorum locum habuere. Ingens spectandi curiosorum in Campo Martio congregata est turba. Equus 6 annorum primo cursu inter 4 æmulos bravium retulit. Secundo concursu e 3 Caballis una quinquennis Normannicæ progeniei, metam primum attigit.

In tertio in 6 Caballis 6 annorum æque Normannica bravium reportabat. Tres, his diebus Iudi, victores equi sequenti pro summo bravio concertaturi pethibebantur.

Quaedam ex Statistica Americæ. 1 Am. Borealis.

Ad hoc usque tempus a feris Indiaincolitur. Reliquum Dani, Hispani, Angli, & respublica Americana inter se divisere.

A. Dani possident magnam Pennins. Grönland. cujus extensio & impopulatio definit nequit.

B. Angli	1) Labrador	20000	□	Incola	→
	2) N. Austr. Vallis	—	—	—	—
	3) Canada	36000	—	170,000	
	4) N. Scotia	1850	—	200,000	
	5) N. Fundl.	2100	—	30,000	
				<hr/>	
				39750	— 400,000

C. Hispani	1) V. Mex. R.	90000	—	3,000,000
	2) Florida	4400	—	133,000
				<hr/>
				94400 — 3,133,000

D. Respubl. Am. bor. 47000 □ 6,500,000
E. Liberi Indi 200000 — 500,000
in Summa 401,350 □ mill. cum 10533000
Incolis populosissima regio est respublica,
pauperrima Incolis regio Indianorum.

II. *America Australis.*

Inter 4 haecenus Europaeas Nationes di-
visa — I Hisp. 174000 □ (5 Districtus prov.
Caracas sola 728000 Inc.) 3,500,000 Inc.
2) Portugall. 150000 — 3,000,000 —
3) Gal. & Hol. dit. 4000 — 150,000 —

III. *Media* — (India occidentalis)

Meris absolvitur Insulis inter 10—32°
lat. & 293—317° long. Atlantico & Mexi-
cano Oceano circumdati.

1) Ngrit. Status. S. Domin. 1415 □ 680000 Inc.
B. Hispanicae. Cuba 900 □ 500,000 Inc.
Portorico 200 — 8000 —

1100 — 508,000 —

C. *Anglicae.* 1. Jamaica. 2. Triestas. 3. Domi-
nica. 4. Grenada. 5. Barbados. 6. Antigoa 7.
S. Christoph. 8. Nevis. 9. Anguilla. 10. S. Via-
cent. 11. Barbuda. 12. Bahama Ins. universim
493 $\frac{1}{2}$ □ mill. 616,000 Inc.

D. *Gallicae.* Continent 174 □ 287500 Inc.

E. *Danicae* 15 □ 35600 Inc. F. *Hollandicae*
9 □ 27,000 Inc. G. *Danis & Hollandis* com-
munis: 9 □ & 6000 Inc. Sveci S. Barthol-
23 $\frac{1}{4}$ □ cum 6000 Inc. Omnes *Westindicae* In-
sulae complectuntur 3209 □ 2,060,100 Inc.
Universa America 732,559 □ 19,449,100 Inc.
